



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm  
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciaae Liber vnus**

**Sanderus, Antoine**

**Antverpiae, 1625**

Evbertvs Episcopvs Insulensium in Flandria Patronus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10172**

## E V N V C I V S

*Episcopus Tornacensis.*

10. Sept.

**A** Demochare Resseño & Chenutio adiungitur Guidoni xxvij. Episcopo Nouiomensi ac Tornacensi: vnde colligi videtur ipsum non nisi Coepiscopum fuisse. Caput eius Radulphus Nouiomensis Episcopus circa annum 962 transtulit ad Monasterium S. Lupi, quod nunc S. Eligij dicitur extra muros Nouiomenses ab eodem Eligio fundatum. Vide Ioannis Cognati historiam Tornacensem.

## E R E M B E R T V S

*In Blandinio iuxta Gandauum.*

**F** Vit Religiosus in Monasterio Fontanellensi sub Abbate S. Lamberto, qui Archiepiscopus Lugdunensis atque etiam Tholosanus fuit. Honoratur in Abbatia sancti Petri iuxta Gandauum, eò quòd illuc eius Reliquiæ cum aliis Sanctorum è Fontanella ob metum & persecutiones Normannicas olim fuerint delatæ. Ita Gazæus in *Historia Ecclesiastica Belgij.*

## E V B E R T V S E P I S C O P V S

*Insulensium in Flandria Patronus.*

11. Febr.

**C** Vm sanctis Piato & Chrysolio martyrium passus est Cimperante Diocletiano circa annum Domini 299. quiescit Insulis Flandrorum Emporio, in illustri Canonico-  
corum

corum S. Petri Ecclesia, quam Balduinus cognomento Insulanus Flandriæ Comes anno 1066. fundavit. Coliturque non solum Insulis sed etiam Seclinij. Plura vide apud Iohannem Cognatum in Historia Tornacensi, & Molanum in natalibus hac die. Fuit & Eubertus quidam Canonicus apud Bellocassios magnâ sanctitatis opinione, nam quotannis octiduanæ feriæ institutæ sunt, à Kal. scilicet Februarij vsque in septimum ante idus diem cuiusque tabulam magno cum accolarum confluxu supplicationibus durantibus consuevit clerus totam gestare per urbem, ait Hard. qui & eum inter Sanctos Flandriæ recenset.

### EVSEBIA MARCHIANENSIS.

**M**ater illi fuit S. Rictrudis Abbatisa & fundatrix Marchianensis. Successit proavia suâ in regimine monasterij Hamaticensis D. Gertrudi ubi & obiit, terrâ mandata à S. Amato Episcopo Senonensi, quem eo in loco S. Maurontus Eusebiæ frater, exulantem fouebat. Quiescit Marchianis in feretro argenteo admodum pretioso. Hamaticum porrò olim virginum cœnobium, ad Scarpum flumem secundo lapide à Duaco, nunc est Prioratus Monachorum Benedictinorum Abbatia Marchianensis.

### EMILION EPISCOPVS MARTYR

*Tornaci.*

**A**lio etiam nomine vocatur Ennion, & XXV. ponitur à Gazæo in historia Ecclesiastica. Tornacensis Episcopus electus circa annum Domini 850. Flodoardus eum vocat Immonem, & interfuisse dicitur ab eo Synodo

I 2

Suessio-